

peccatum in confessione auditum. Ibid. hoc confirmat ex *motu proprio Clementis VIII.*, quem edidit anno 1594. die 26 Martii pro Regularibus, ubi praecepit, ne Regulares ad Superioritatis gradum evecti scientia de aliorum peccatis habita in confessione utantur ad externam gubernationem, quam prohibitionem *Lugo* hic a num. 94. ait extendendam esse ad omnes Confessarios non tantum ob paritatem, sed efficaciam rationis, ne sacramentum reddatur odiosum.

875. R. 2. Licet uti notitia confessionis, quoties id fieri potest et sine omni periculo directe vel indirecte revelandi sigillum, et sine omni poenitentis incommodo, et sine periculo, ne odiosum reddatur sacramentum. Hinc licet orare Deum pro poenitente, ne pereat in hoc vel illo periculo peccati: libros aut doctos viros consulere de peccatis in confessione auditis sine ulla mentione nominis vel personae poenitentis; conquirere media, quies reducere possit poenitentem in viam rectam etc.; quia talis usus notitiae ex confessione haustae nec reddit sacramentum odiosum, nec difficilis. *Stoz, Babenst.* I. c. n. 34. et Comm. Ex his

876. *Resolves* I. Male consultur Confessarius, dum agitur de ejusdem candidati vel poenitentis promotione, vel admissione ad statum clericalem, vel religiosum, quia scientia Confessarii non pertinet ad hoc forum; maxime vero quia tum Confessarii saepe incautus sic datur occasio violandi sigillum, tum poenitentibus non sincere confitendi ad conservandam, vel acquirendam aestimationem Confessarii. Si tamen consulteretur Confessarius, idem deberet dicere, quod diceret, si non esset Confessarius hujus poenitentis, de quo consultur; et multo magis, si de duobus sibi confidentibus consilium petatur: quando enim unum praeter altero extollit, facile vir prudens diversitatem conscientiae inde colligit, unde timenda est saltem indirecta laesio sigilli. Ideoque Confessarius non aliunde, nisi ex scientia passim nota et moribus, qui cadunt sub oculos, commendet. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 2001.

877. II. Ad quaestionem, quid sit agendum, si poenitens taceat peccatum, quod Confessarius scit ab eo fuisse commissum. R. 1. Quando Confessarius extra confessionem complicis vel alterius ex fideli relatione cognovit peccatum poenitentis, vel ipse vidit, v. g. furantem, turpiter agentem, vel audivit blasphemantem etc., tunc ipsum speciatim interrogare potest et debet. *Ratio* est, tum quia non prohibetur Confessarius uti notitia illa extra confessionem sacramentalem hausta ad utilitatem poenitentis; tum quia ex officio tenetur procurare integritatem confessionis, quando moraliter et licite potest. Ita *Laym.* L. 5. t. 6. c. 14. n. 25., ubi addit: Si poenitens interrogatus constanter neget peccatum, Confessarius regulariter illum debet absolvire, si nimis stante notitia adhuc possit sibi prudens formare hoc vel simile dictamen: *Forte poenitens hoc peccatum jam fuit alteri confessus; vel nescivit esse peccatum saltem mortale; vel qui mihi retulerant, falsum dixerunt etc.* *Ratio* est, quia in foro poenitentiae credendum est poenitenti sicut contra se, ita et pro se loquenti. Dixi, regulariter, et stante illo prudenti dictamine; si enim consideratis omnibus circumstantiis certo constaret, quod poenitens malitiose et mendaciter neget peccatum, neganda esset absolutio: quia nec valide nec licite certe indisposito datur absolutio; ita iterum *Laym.* ibidem cum *Henriq.* contra *Sotum*, *Holzmann.* t. 4. de poenit. n. 721. cum *Lug.* et *Tamb.*

878. R. 2. Quando Confessarius novit illud peccatum ex sola sacramentali confessione complicis, v. g. si ex confessione sponsi noverit fornicationem cum sponsa commissam, quam tamen sponsa statim post sponsum confitens non confitetur, tunc in specie non licet interrogare, sed

tantum in genere, et quidem valde caute, v. g. an nihil amplius habeat, quod conscientiam gravet. *Ratio* est, quia speciatim interrogandose objiceret periculo revelandi peccatum a complice commissum; sponsa enim facile adytereret, quid sponsus confessus sit. In genere vero quaerendo non aeque incurritur periculum fractionis sigilli; quia abstrahendo a notitia prioris confessionis generica quaestio passim aliis poenitentibus potest proponi.

Quid, si sponsus dederit licentiam utendi notitia? Respondet *Stoz* hic n. 230. sub fin., ex tali licentia communiter ori gravia scandala, si complex cognoscatur vel suspicetur, delictum suum innotuisse tantum dependenter a confessione sacramentali complicis, ideoque inde etiam odiosum fieri sacramentum.

879. An vero et quomodo absolvendus sit talis poenitens negans peccatum? R. ut supra. Si Confessarius adhuc dictamen possit formare, quod poenitens non ex malitia neget peccatum, vel non putaverit esse peccatum, vel jam confessus forte fuerit, regulariter debet saltem sub conditione absolviri: si sis dispositus, ex rationibus supra datis. Dixi iterum, regulariter: nam si Confessarius evidenter sciat, quod poenitens malitiose neget peccatum, non potest eum absolvire; quia nefas est ministrare sacramentum ei, quem evidenter scio indignum. Ita *Reiffenst.* in theol. mor. tr. 14. d. 8. q. 3. n. 43. cum *Lugone*, *Stoz* l. c. n. 104.

880. Sed quomodo in praxi Confessarius dimittet poenitentem sine absolutione, ne ex negatione illius violetur sigillum? Respondet *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1969. cum *Dicast.* Dissimulanter super poenitentem dicat: *Misereatur tui* etc. dataque benedictione dimittat illum: si poenitens quaeratur, an absolutionem dederit, dicat Confessarius: *Feci officium meum, ne dubita: per hoc enim nec revelatur peccatum sponsi, nec hoc affert ullum incommode sponsae, quae nihilominus debet illa peccata et hanc confessionem sacrilegam suo tempore repetere.* Addit ibid. *La Croix: Pastor vero omnia dissimulando assistat eorum matrimonio.*

881. III. Poenitenti licet non absoluto (modo accesserit animo peccata subjiciendi clavibus) petenti schedam factae confessionis tenetur Confessarius eam dare, si soleat aliis potentibus dare schedam, quia negare eam in talibus circumstantiis esset indirecte dicere, quod non sit rite confessus vel absolutus. Ita *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1944. cum *Laym.*, *Connina*, *Aversa* et aliis contra *Henriq.*, *Bonac.*, *Lug.* et alios.

882. IV. Confessarius, cui poenitens, v. g. periculose decumbens confitetur, quod vixerit hucusque in concubinatu, et eam de facto adhuc secum habeat domi sua, non potest citra violationem sigilli monere concubinam, ne accedat ad infirmum, aut discedat e domo; quia illa facile colligeret, quid infirmus confessus sit.

SECTIO V. De sollicitatione.

883. Q. I. An poenitens sub gravi praecepto obligetur ad denuntian- dum Confessarium sollicitantem ad turpia ac inhonestata? R. *Affirmative.* Ita statuerunt *Paulus IV.*, *Pius IV.* quorum Constitutiones *Gregor XV.* per Bullam: *Universi Dominici gregis*, ad fideles omnes extendit, constituitque denuntiandos esse Inquisitoribus, vel (ubi inquisitio non est) Ordinariis, sive eorum Vicariis Sacerdotes, qui sive in confessionali, sive in loco ad confessiones audiendas destinato, confessionem simulantes, ad in- honesta sollicitaverint, sive dishonestos sermones habuerint, sive turpia tractaverint. Huc pertinet Constitutio *Benedicti XIV.*, quae incipit: *Sacra- mentum poenitentiae*, edita 1. Junii 1741, in qua n. 1. approbantur et con-

firman tur tum aliorum Romanorum Pontificum Litterae de sollicitatione, tum omnia et singula Decreta ad illarum interpretationem et declarationem emanata. Ex verbis Constit. Benedicti XIV. sequentes regulae deducuntur, quibus indicatur, quinam sint denuntiandi, quas ob causas, quando, et qua ratione denuntiare oporteat.

884. Prima Regula: *Denuntiandi sunt omnes et singuli Sacerdotes sollicitantes, sive absolvendi jurisdictione polleant, sive careant. Secunda: Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, sive pro se ipso, sive pro alia persona sollicitaverint. NB. Aliquem poenitentem.* Unde patet, etiam denuntiandum esse Confessarium, sive sollicitaverit foeminam, sive masculum. Idem declaravit, teste Laur. Cozza, Paulus V. Tertia: *Qui sollicitaverint in actu sacramentalis confessionis, ante, vel immediate post. Quarta: Vel occasione, aut praetextu confessionis. Quinta: Vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali. Sexta: Sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem. Septima: Qui ad in honesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis, sive signis, sive mutibus, sive tactu, sive per scripturam tunc, aut postea legendam tentaverint. Vide etiam propositionem 6. ab Alex. VII. damn. Octava: Aut cum eis illicitos, et in honestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint. Nona: Denunciare oportet, etiamsi sollicitatio inter Confessarium, et poenitentem mutua fuerit. Decima: Sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit. Undecima: Vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit. Duodecima: Aut sollicitatio a Confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit.*

885. His praemissis Bened. XIV. in ead. Constit. monet Confessarios: *Caveant diligenter, ne poenitentibus, quos neverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.* Ibid. de falsis delationibus, de quibus supra egimus n. 819.

Ex his manifesta est ratio responsionis supra datae, quod omnes poenitentes gravi pracepto sint obligati ad denunciandos sollicitantes Confessarios, nec id sine gravi culpa possint omittere: agitur enim de re gravi, cuiusmodi est abusus sacramenti ac de crimine, quod pree se fert suspicionem haereseos.

886. Q. II. An mulier sollicitans pariter sit denuntianda? R. Negative: quia lex Confessarium, non poenitentem sollicitantem exprimit. Ita Felix Potestas in Exam. Ecclesiast. tom. 2. p. 3. c. 2. q. 6., ubi addit: *Imo mulier denuntiando, si ipsa consensit, non tenetur suum manifestare consensum, quia materia denuntiationis est sollicitatio seu actus in honestus Confessarii, non poenitentis.* Constat ex Bulla Greg. XV. et Const. Bened. XIV. ubi expresse habetur: *ne aliqui sacerdotes, poenitentiae sacramento nefarie abutentes, poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant.*

887. Q. III. An si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic possit ipsum absolvire absque onere denuntiandi? R. Tenetur adhuc ad denuntiationem faciendam, ut constat ex propos. 7. ab Alexand. VII. damnata, quam propositionem ita exponit *Viva*, docuisse scilicet aliquos, sollicitatum in confessione non teneri ad denuntiandum Confessarium, si eidem sua peccata confiteatur, eo quod in tali casu Confessarius non teneatur sollicitatum monere ad se denuntiandum: ergo hoc ipso, quod Confessarius non injungat obligationem denuntiandi, poenitens non tenetur denuntiare. Hoc

postea falsum *Viva* ostendit, quia Confessarius non injungit hoc onus, sed tantum declarat, sicut quando monet obligationem restitutionis; ideoque sive culpabiliter, sive inculpabiliter non moneat Confessarius, adhuc poenitens tenetur denuntiare, nisi eum excuset aliunde ignorantia legis Pontificiae.

888. Q. IV. An excusetur ab obligatione denuntiandi, qui ex denuntiatione prudenter timet periculum propriae vitae, aut alterius gravissimi damni? Respondet *Felix Potestas* l. c. q. 5. affirmative, eo quod preecepta humana non obligent cum gravi noctumento.

889. Q. V. An praemittenda sit ante denuntiationem correctio fraterna, si firmiter emendatio speretur? Respondet *Felix Potestas* l. c. c. 12. q. 6. n. 613. in similibus delictis ad S. Officium spectantibus, tam si sint de haeresi formalis, quam de sollicitatione, et suspicione haeresis, omnino facienda esse denuntiationem, nulla praemissa correctione fraterna, etiamsi emendatio speretur. Ratio prima est, quia in denuntiatione Evangelica praemittenda est correctio fraterna, minime vero in denuntiatione judiciali: illa enim praecise est in gratiam fratris, ejus emendationem intendens; haec in gratiam legis, quae punitionem intendit, et in bonum publicum, quod praevalet commodo privato fratris. Secunda ratio est, quia aperta via correctionis, secluderetur via denuntiationi. Confirm. ex decreto sacrae Inquisitionis coram Alex. VII. die 8. Julii 1660., ubi decernitur, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio praemissa fuerit, teneri poenitentem ad denuntiandum. Alii, praesertim *Sotus*, *Camus Sylv.*, *Lopez*, *Ledesma*, *Fagund.* tenuerunt, praemittendam esse correctionem fraternam, si speretur emendatio, ita ut, si ea facta firmiter credatur emendatio secutura, correctus non sit denuntiandus. Horum ratio est, quod preeceptum correctionis sit de jure naturali et divino, preeceptum vero denuntiationis sit humanum, quod illi praevalere non potest. Hi quoque secuti sunt *D. Thomam*, qui 2. 2. q. 33. a. 7. in corp. ait: *Quaedam enim peccata occulta sunt, quae sunt in documentum proximorum vel corporale, vel spirituale, puta, si aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si haereticus privatim homines a fide avertat. Et quia ille, qui sic occulce peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi noctumentum impediatur, nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.* Verum cum delicta sollicitationis, et haeresis sint ita viscera (ut ait *Potestas*) et nimium perniciosa Christianae Reipubl., ut non sit facilis per correctionem fraternam emendatio, hinc in praxi videtur preeferenda prima responsio, preecipue quia magis facit ad reverentiam sacramenti poenitentiae et avertit temerarios illius abusus.

890. Q. VI. Quomodo Confessarius in praxi debeat procedere, si poenitens dicat, se fuisse sollicitatum a Confessario? R. Quaerat caute, 1. an ad peccatum grave contra sextum sollicitaverit; 2. an certus sit de sollicitatione, an vero dubitet, utrum factum sit animo sollicitandi, an causa examinandi peccatum, aut circumstantias peccati, quia facile non est credendum hisce delatoribus. Vide de falso delatore n. 819.

A P P E N D I X.

De rigore et benignitate Ecclesiae.

„Nota 1. Quatuor sunt, quae potissimum his ultimis saeculis Ecclesiae Romanae objecta sunt, in quibus nimia indulgentia excedat, vide licet in imponenda nimis levi peccatoribus poenitentia: in danda nimis

„*ito iis absolutione*: in admittendis nimis facile fidelibus ad *S. Eucharistiam*: in laxando nimium *indulgentiarum* thesauro, et id maxime opera aut favore Regularium. 2. Qui ita quaerebantur, ad duas classes reducuntur: vel *Jansenii asseclae* sunt, vel indiscreti alias *rigitis amantes*. Ex primo genere *stricti Janseniani* dicuntur, qui unam saltem ex quinque *Jansenii propositionibus* propugnant, aut defendunt, eas non contineri in libro *Jansenii*, aut nolunt sincere subscribere formulae *Alexandri VII.* et *Clementis XI.*, e. g. qui peccati reum faciunt hominem ob motus voluntarios quidem, sed carentes libertate *indifferentiae* etc. Huc revocantur *Quesnelliani*, qui *Quesnello* favent, et *Appellant* ad Concilium generale. Ex secundo genere rigorem indiscretum nonnulli tueruntur vel ex zelo proprio, vel ex zelotypia adversus quosdam in particulari, unde natae propositiones 20. et 21. ab *Alex. VIII.* damnatae. Horum rigoristarum doctrinae sunt: quoties quis relabitur, signum est, eum antea caruisse, vero dolore et proposito, unde priores confessiones sunt repetenda; poenitentiae imponendae secundum *primaevum* rigorem antiquorum canonicum: etiam prima vice confitens mortale non est statim absolvendus: dispository non est ad *absolutionem*, in quo amor Dei castus non prædominatur supra omnes alios affectus actuales et habituales etc. Vid. *P. la Fontaine S. J.* in *Constit. Unigenitus* propugnata; et lib. *Causa Quesnelli* seu *Motivum Juris* etc. Nunc

„Q. I. An Ecclesia defecerit a fervore suo?

„R. Neutquam; cum deficit etc. dicat ex aliquo defectu a via debita recedere. *Ratio*. Ille non deficit, qui in rebus concorrentibus solam disciplinam modo majorem rigorem, modo majorem benignitatem pro diversitate circumstantiarum praesefert, maxime si hoc fiat ex gravibus causis, et compensando rigorem per alia meliora: atqui id egit Ecclesia. *P. M. Quadrinembis* ex *historia Eccl.* collecta a *Sozomeno*, *Arcudio*, *Clerico Romano*, *P. Francolini*, *Theologia Dogmatica* *P. Antoine*, *Apparatu Eruptionis* *P. Biner* etc. Si in tria tempora dividatur aetas Ecclesiae, 1. *Sess.* qui primo saeculo Ecclesiae disciplina fuit benigna: ergo si rediit ad benignitatem, rediit Ecclesia ad statum *primaevum*. 2. *Per saecula aliquot* successit rigor propter haereses Montani, et Novati, qui magnum rigorem professi Ecclesiae benignitatem exosam reddidere. Hunc rigorem auxit ob sectas Gnosticorum, et Valentinianorum, qui vitam nimis mollem secuti a Catholicis discerni per rigorem debebant, prout modo discernuntur Lutherani etc. Accessit poenitentiae privatae etiam publica, et publicae simplici etiam solemnis temporibus persecutionum, ut sic difficultate reconciliationis retraherentur fideles ab apostasia, et tollerentur scandala quorundam Christianorum inter Gentiles degentium. 3. Successive remisit hic rigor ad finem saeculi quarti in orientali Ecclesia, in occidentali vero ad finem saeculi septimi abrogata poenitentia solemnis; tum sublata etiam omni publica nativam benignitatem induit Ecclesia circa saeculum duodecimum, quantum in re hac valde incerta colligi verosimile potuit; partim quod rigor hic cooperit esse noxious, inaequalis pro diverso Episcoporum genio, indiscretus in Poenitentiariis, absterrens Gentiles et haereticos ab ingressu Ecclesiae, partim quod *suppletus* sit per expeditiones sacras, plures indulgentias, Religiosos Ordines identidem nascentes, ceu publicae poenitentiae professiones, ac frequentiorem Sacramentorum usum ex majori numero Sacerdotum.

„Dices 1. Ecclesia semper fuit *rigida*. 2. *Causa mutati rigoris* fuit frigescens fidelium charitas. 3. Distinctio inter poenitentiam *publicam communem*, et *publicam solemnem*, est conficta.

„R. Ad 1. N. Patet benignitas ab exemplo Christi erga Petrum, Publicanum, Magdalena et adulteram; exemplo Pauli incestuosum Corinthium ex anathemate Ecclesiae brevi restituentis; s. Joannis Eu. suum discipulum, postea latronem, illico recipientis etc. Ad 2. N. Certe saeculo decimotertio, quo cessatum omnino a rigore est, fuere Pontifices zelosissimi, uti Innocentius III. Honorius III. etc. Concilia celeberrima, Lateranense IV., duo Lugdunensis, Viennense, 90. particularia, ubi rigor restitutus fuisse, si visum esset fore consultum. Ad 3. N. Publica communis fuit, quando poenitens abstinebat ab oblectamentis etiam licitis, vacabat jejuniis, secedebat a communi populo sacris vacante ad locum separatum etc. Solemnis vero habebat insuper certos ritus, et quathor gradus flentium, audientium, prostratorum, et consistentium, durabatque ad longius tempus, e. g. 7. vel 10. annorum.

„Q. 2. An *Sacramentalis confessio* nunc sit alia, quam olim?

„R. Non esse aliam, saltem quoad substantiam, et modum notabilem. Ita patet ex prop. 18. ab *Alex. VIII.* damnata.

„Dices 1. Olim confessio publice facta. 2. Olim fideles non confitebantur, unde eruitur, confiteri *venialia* esse abusum ob rationes varias. 3. Olim rarissime confessi sunt primi Christiani, et quotidie licet communicaentes, sine confessione ad synaxim accedebant.

„R. Ad 1. semper confessio auricularis fuit in usu, ut praedicti auctores etc. et quando publica confessio de peccatis in specie facta est, facta est dumtaxat de peccatis publicis, et eam praecessit secreta, ex qua iudicabatur, quid publice esset confitendum. Certe Tridentinum sess. 14. c. 5. Non satis consulte humana aliqua lege praeciperetur ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda, utique cum hoc infamaret poenitentem, excitaret lites inter conjuges, foret supra fragilitatem humanam, quod Ecclesia, quae a Christo et Spiritu S. regitur, factitare nunquam potuit. Ad 2. ex Bulla desumptum, et ad 3. contrarium solide probat *Viva a. n. 17. prop. 18. damn.*, tum quia *Trid. sess. 14. c. 5.* confessionem venialium ex usu piorum hominum deducit, tum quia sic pharmaco sanguinis Christi privarentur maxime homines timorati, ut demonialibus misere deceptis narrat.

„Q. 3. An satisfactio sacramentalis sit danda juxta canones? R. Non esse, quia *juxta Suarez d. 38. sect. 4.* de poen. canones poenitentiales non quam erant leges, sed instructiones, et merae regulae directae, ut illas Confessarii sequi possent, quantum expedire censerent, et si etiam olim fuissent legitimae, multis de causis eas non usu Ecclesia abrogavit, prout etiam hodie laicis non datur communio sub utraque specie, nec communio parvulis etc. ut olim; Morinus l. 2. c. 21. et l. 4. c. 9. ait: *Poenae criminibus impositae ante Novatum breves admodum fuere, et quandoque pax sceleratissimis statim reddit, nulla imperata exteriori poenitentia.*

„Dices 1. Poenitentiae leves augent libertatem peccandi. 2. Olim ad maiorem peccati horrorem *pro occultis* peccatis imponebantur publicae poenitentiae. 3. Imo et canonicae.

„Ad 1. Si sint nimium leves, erit abusus hominum privatorum, quem roborat usus Ecclesiae; si nimium graves, absterrent homines a confessione. Ad 2. N. Sed tantum pro peccatis *notoris* et *ex voluntate ipsius poenitentis*, qui quandoque petebat aliquam poenitentiam ab Episcopo; sicut publica confessio, ita et publica poenitentia esset infamatio, et silli laesio, faceretque Sacramentum odiosum. Ad 3. N. Solemnis solum imponebatur extra Sacramentum ab Episcopo *pro foro externo*, pro dictis sufficienter probatis in judicio: idque tantum ob delicta canonica

„tria: idolatriam, homicidium, adulterium, quibus successu temporis pauca „alia accessere; ac *semel* in vita, nec *omni* hominum generi; cum excepti „fuerint sex hominum classes, scil. juniores 40. annis, clerici, officiales pub- „lici, conjuges sine consensu alterius conjugis, milites, nisi arma deponerent, „ac impediti morbis, itineribus, laboribus aliis; imo poterant eam saepe re- „dimere pascendo pauperes, dando pecuniam ad redemptionem captivo- „rum etc. ut patet ex ep. 1. Siricij Papae, Conc. Triburiensi anno 892. „habito etc.

„Q. 4. An satisfactio implenda ante absolutionem?

„R. Non esse ordinarie loquendo. *Alex. VIII.* damnavit prop. 16., quia „ad substantiam conversionis sufficit verus dolor, serum propositum, ac „sincera confessio: ergo cum aspirante divina gratia haec brevi fieri pos- „sint etc.

„Dices 1. Poenitentibus dandum *tempus portandi*, et sentiendi statum, „ac jugum peccati, ut *Quesnellus*, et auctor *speciminum Moralium* docet. „2. *Natura poenitentiae* exigit, ut materia praecedat formam; ut primo fiat „Confessio, deinde poenitentiae impositio, ac hujus executio, tandem abso- „lution. 3. Olim primum absolvebantur post impletam *integrā* poenitentiam. „R. Ad 1. N. Sed quamprimum e statu peccati, in quo opera sunt mor- „tua, eluctandum, sicut a morbo: ita Christus fecit cum Magdalena et aliis: „sic s. Cornelius Papa absolvit Trophimum, Ep. Melchiades Donatistas, „Concilium Antiochense Samosatenos, Nicaenum Novatianos, Laodicense „Photinianos. S. Augustinus in Ps. 36. ait: *nonne si vis* (converti) *modo* „*fit? Ecce! cum loquor, muta cor, et factum est.* Ad 2. N. Totum naturale „exigit, ut prius ponantur partes essentiales, qualis est etiam absolutio, „tum primum integrales, qualis satisfactio: ipsum adeo judicium exigit „prius sententiam, quam executionem: ita *Alex. VIII.* damn. prop. 17. Per „illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus. Ad 3. Hoc „verum est de absolutione canonica pro foro externo, qua poenitentia recon- „ciliatus est post solemnem poenitentiam Ecclesiae, non de *sacramentali*, „quae dabatur statim pro reconciliatione per Sacramentum poenitentiae „cum Deo: duas enim absolutions distinguendas esse, norunt omnes contra „Alexandrum Natalem Diss. 7. et 9. Hist. Eccles. et Tournelium, licet limi- „tantius loquentem; alii explicant etiam de *communione Eucharistiae*, quae „primum post reconciliationem extrasacramentalem concedebatur.

„Q. 5. An absolutio sacramentalis danda sit omnibus?

„R. Cum nullum sit peccatum adeo enorme, ut deleri nequeat per „potestatem sacramentalem, danda est omnibus dispositis: an autem statim, „vel differenda absolutio, iudicio prudentis Confessarii relinquitur.

„Dices 1. Ecclesia olim aliquibus criminibus, hominibus relapsis post „solemnam poenitentiam, Clericis in graviora flagitia prolapsis, peccato- „ribus poenitentiam usque ad mortem differentibus etc. *omnino negavit* „absolutionem et veniam. 2. Severius egerunt ss. Xaverius, Salesius, Carolus „Borromeus, Thomas Villanovanus cum peccatoribus, ne facilitate absolu- „tionis citu relaberentur. 3. Poenitentia ex sententia Trid. est *laboriosus* „*baptismus*, ubi remissio peccatorum acquireti sine magnis fletibus nequit. „Ita Jacobus Jansenius discipulus Baji, et Magister Cornelii Jansenii: item „Joann. Sinnichius in *Saule Exlege* etc.

„R. Ad 1. Hoc intelligendum de absolutione *extrasacramentali*, qua „vel a culpis et poenis absolvebantur, et Ecclesiae reconciliabantur poeni- „tentest, vel a prohibitione mensae Eucharisticae, vel ab omnibus simul. „Ad 2. Sanctos allegatos esse potius contrarios rigoristis, cum plures per „benignitatem Ecclesiae ad Christum adduxerint, quam per rigorem omnes

„rigoristae. Ad 3. Ibi Trid. loquitur de plena peccatorum remissione quoad „culpam, quam quoad poenam omnem temporalem. Sane *Praxis Sacra- „menti poenitentiae*, quam scripsit Ludov. Habert, et *Pastor bonus* Joannis „Opstraet etc. aliaque eorum opera ipsis adeo Episcopis Galliae displicuere, „ut ea damnarent: falsa ergo thesis est: *Is solus censemur vere conversus,* „qui notabili tempore sua crimina retractavit per facta contraria.

„Q. 6. An salutare sit, poenitentes arcere a sacra synaxi?

„R. Ut quandoque abstinere ex humilitate, bonum est, ita frequenter „aut diutius arcere poenitentem, perniciosum: ita prop. 22. ab *Alex. VIII.* „damn. Certe hominem debilem privare maximo ad vitam meliorem reme- „dio, est aegro tollere medicinam, ut convalescat. S. Leo ep. 87. ad Episc. „Gall.: *Nulli Christianorum facile communio denegetur: cognovimus enim...* „*animam, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam saevi sup-...* „*plicii sauciataam, inermem, exutamque omni munimine, diabolicis incur-...* „*sionibus objectam.*

„Dices 1. Abstinentia ab Eucharistia est poenitentia Christo accep- „tissima et homini saluberrima. Ita *Arnaldus* de freq. com. 2. Dispositio „ad Eucharistiam necessaria est *amor purissimus*, omnis mixtionis expers, „et mundities cordis non tantum a peccatis, sed etiam a privatis motibus, „et operationibus phantasiae libera etc. 3. In prima Ecclesia nihil *frequen-...* „*tius*, quam pro poenitentia medicinali prohibere communionem.

„R. Ad 1. N. Pernicies patet ex probatione nostra. Ad 2. N. *Trid.* sess. „13. c. 7. pro dispositione necessaria requirit: *Ut nullus peccati mortalis* „*sibi conscientia absque sacramentali confessione ad Eucharistiae Sacra-...* „*mentum accedere audeat.* Ad 3. Potius constat ministros non Sacerdotes, „et fideles plurimos quotidie communicasse. Innocentius XI. in decreto „annī 1678. non reprobat frequentem, imo nec quotidianam communionem, „sed tantum cautelas quasdam praescribit. Vide dicta n. 384. *De poeniten-...* „*tibus determinate* loquendo, abstinentia a communione publica fuit iis „imposita, et quidem raro, ob peccata tantum scandalosa. Soterus anno 176. „decretum edidit, ut omnes durante licet poenitentia coenae Domini, et „Sylverius teste Burchardo l. 5. c. 19., ut quinques in anno ad sacram „synaxim accederent. S. Aug. hom. 50. inter 50. habet similia.

„Q. 7. An indulgentiarum usus sit nimius?

„R. Non esse, si a quibusdam falso praetensis praescindatur: certe „*Trid. decreto de Indulg.* magnopere cupit hos defectus, si qui irrepat, „emendari. *Paulus V.* revocavit omnes indulgentias Regularium, et iis „pauciores concessit, et *Benedictus XIV.* in Bulla 41. t. 3. multas sustulit „etc. *Innocentius XI.* decreto anno 1677. 18. Mart. dato statuit, ut si alias „Ecclesiam aliquam visitantibus indulgentia concessa sit, altera plenaria „non valeat. Unde *deducitur*, neminem posse pluries lucrari indulgentiam „plenariam eodem die, nisi alterutra indulgentia 1. data sit pro defunctis, „2. aut certo personarum generi, e. g. Confraternitati etc. 3. aut ob aliud „opus certum, e. g. doctrinam Christianam explicandam, vel audiendam, „quadraginta horarum comprecationem, litanias etc. 4. aut sit indulgentia „stationum, aut 7. altarium Basilicae Vaticanae. V. *Bonet de Indulg.*, *Viva,* „*Amort* etc.

„Caeterum qualē regiminis formam Ecclesia, qualē superioritatem „exerceat Pontifex in rebus mere sacris, v. g. decernendis dogmatibus fidei, „concedenda jurisdictione ecclesiastica etc. varii varie sentiunt 1. *Mart.* „*Becanus de Republica Eccles.* praemissis 13. praerogativis s. Petri supra „reliquos Apostolos, tribuit Pontifici in spiritualibus potestatem Monar- „chicam. *Binerus in Appar. Erud.* p. 3. n. 29. superioritatem supra Concil-